

omni tertio vel quarto die augebatur
dosis, donec assumpsisset quotidie gra-
na viginti.

Sequentes casus doctissimus Domi-
nus Colin in nostro nosocomio obser-
vavit, scriptasque dedit morbi hi-
storias.

EXPERIMENTUM IX.

Anna Maria Kaltenekerin 30. an-
nor. acerbis verbis & minis die
secunda Septembris furti accusabatur.

Unde ita turbata fuit, ut in conti-
nuo delirio, circa res terrificas ver-
sante, jacuerit.

Nec ex hoc delirio rediit, licet in-
nocens fuerit declarata, & falsus ac-
cusator petierit delicti veniam.

Un-

Undecima Septembbris ad nos dela-
ta, ne momentum quietis habebat cla-
mans continuo: se videre dœmonem,
negansque se furatam esse , ac inter
sagas pertinere: dein toto corpore tre-
mebat, & fugam moliebatur tanta vi,
ut plures custodes ipsam in lecto re-
tinere non potuerint : hinc Ioris il-
lam lecto coercere coacti fuimus.

Interim pulsus & respiratio muta-
bantur secundum varia phantasmata ,
quæ menti apparebant: lingua erat
humidissima , oculi erant torvi , ira-
cundi, alvum inscia deponebat in le-
ctum.

Fecimus omnia, quæ artis erant ad
18. Septembbris usque , ut miseræ le-
vamen afferremus , verum operam lu-
simus , & ægra immutata permanxit:

& datis una dosi binis granis opii puri vix brevem somnum illi procurare poteramus, a quo evigilans, pejus se jactabat.

Dedi tunc hyosciamī extractum.

Per tres primos dies binas pilulas sumfit, unde ægra pacatior fieri videbatur, dein sumfit tres pilulas de die, nempe unam mane, aliam circa meridiem, & tertiam vespere.

His sensim redivit quies menti.

Sub finem Octobris perfecta sanitate fruens nosocomio valedixit.

Viderat illam illustrissimus Præses undecima Octobris, & alii celeberrimi viri.

EXPERIMENTUM X.

THerefia Liedmayerin, 18. ann. nata, decima sexta Julii ad nos

ve-